Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

# Theses juris inaugurales

https://hdl.handle.net/1874/295254

15

# THESES
## JURIS INAUGURALES,

QUOD

*FAVENTE DEO O. M.*

*Ex Auctoritate* MAGNIFICI RECTORIS

## ALEXANDRI PETRI NAHUYS

A. L. M. Phil. & Med. Doct. Medicinæ, Botanices, Chemiæ & Phyſiologiæ Profeſſoris Ordinarii,

NEC NON

*Ampliſſimi* SENATUS ACADEMICI *conſenſu, et Nobiliſſimæ* FACULTATIS JURIDICAE *decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus, ac Privilegiis rite ac legitime conſequendis,

*Eruditorum Examini Submittit.*

## DOMINICUS SNOECK,

BOMELIA - GELRUS.

*Ad diem* XIV. *Septembr.* MDCCLXXX. *H. L. Q. S.*

*TRAIECTI AD RHENUM,*

*Ex officina* ABRAHAMI VAN PADDENBURG,

ACADEMIA TEYPOGRAPHI, MDCCLXXX.

*VIRIS*

*NOBILISSIMIS CONSULTISSIMIS*

ADRIANO SNOECK,
AMPLISSIMI TRIBUNALIS IN PAGO VULGO *TUYL* DICTO SCABINO, URBIS BOMELIÆ QUÆSTORI.

PATRI CARISSIMO, OMNI, QUA FILIUM DECET, PIETATE AD ROGUM USQUE COLENDO.

DAVIDI VAN HOYTEMA, J. U. D.
TERRITORII, QUOD DICITUR DE LANDEN EN GRAAFSCHAP VAN CUYK, SECRETARIO.

*NEC NON*

DOMINICO NAMNÆ VAN HOYTEMA,
J. U. D.
URBIS & COMITATUS CULEMBURGENSIS PRÆTORI.

AVUNCULIS CARISSIMIS OMNI HONORIS CULTU NUNQUAM NON PROSEQUENDIS.

*Haſce Theſes inaugurales omni, qua par eſt obſervantia.*

*D. D. D.*

AUCTOR.

# THESES

## JURIS INAUGURALES.

I.

Periculum rei venditæ, necdum traditæ, pertinet ad emptorem.

II.

Ut liberi naturales per ſubſequens matrimo-



nium

nium legitimentur, inſtrumentis dotalibus opus eſt.

III.

Tutor ob latam culpam remotus, ita demum fit infamis, ſi in propriis rebus fuerit diligentior.

IV.

Tutorem ob culpam levem teneri, contra Juris analogiam propter Pupillorum utilitatem receptum videtur.

V.

Mutui datio eſt alienatio.

V I.

Si nullæ partes lucri & damni in contrahenda ſocietate dictæ ſunt, diſtributio debet fieri æqualis, licet inæqualis facta fuerit collatio.

V I I.

Conſobrinorum nuptiæ Jure Civili ſunt licitæ.

V I I I.

Pacta nuda Jure Civili non tanta vi gaudent, ut per ſe actionem parere poſſint.

## IX.

Nuptiæ filiifamilias ſine patris conſenſu contractæ, ſuccedente ratihabitione, non fiunt retro legitimæ.

## X.

Jure Civili fidejuſſor, qui interrogatus, an plus ſua fide eſſe jubeat, quam debitor principalis debet, quique illud promiſit, ne quidem ad ſummam concurrentem tenetur.

## XI.

Teſtator potuit prohibere quartam Trebellianicam de fideicommiſſis detrahi; pruden-

ter

ter tamen hæc facultas ei conceſſa non videtur.

X I I.

Actionum cumulatio tum demum illicita eſt Jure Romano, ſi actiones ad idem petendum inſtituantur.

X I I I.

Ut prodigus deſinat in curatione eſſe, novo magiſtratus decreto opus eſt.

X I V.

Naufragorum bona, quamvis de proprietario conſtet, vel ea, quæ iter facientibus de

curru decidunt, fiſco adiudicari, injuſtum eſt.

X V.

Negotiorum geſtor ordinario præſtat omnem culpam, etiam leviſſimam.

X V I.

Invecta & illata in praedium ruſticum tacite non obligantur pignori.

X V I I.

Quarta Divi Pii, quam arrogator impuberis, eidem relinquere tenetur, eſt quarta pars omnium bonorum.

## XVIII.

Cautio fructuaria, neque in totum, neque pro parte a teſtatore remitti poteſt.

## XIX.

Beneficium Legis 2. Cod. de Reſcind. vend. competit tam emptori, quam venditori.

## XX.

Beneficium d. Legis 2. ad transactionem extendendum non eſſe, ſi quis eo nomine ultra dimidium ſe laeſum eſſe probaverit, verius mihi videtur.

XXI.

Commodatarius ordinario culpam leviſſimam præſtare tenetur.

XXII.

Bonæ fidei poſſeſſor omnes fructus, tam naturales, quam induſtriales percipiendo facit ſuos.

XXIII.

Dantur actiones ab origine mixtæ.

XXIV.

Actiones dividuntur in bonæ fidei, ſtricti Juris, & arbitrarias.

XXV.

Minores non inviti regulariter accipiunt curatores.

XXVI.

Sui defenſio licita eſt, etiam cum cæde violentia invaſoris.

## XXVII.

Quin, ſi certum ſit periculum, non expectandum eſt donec primus ab hoſte ictus inferatur.

## XXVIII.

Jus gentium, quod omnes gentes, etiam invitas obligaret, & tamen a jure naturali diverſum foret non datur.

## XXIX.

Liberos, ob alias etiam cauſas quam quæ in Nov. 115. Cap. 3. extant, a parentibus exheredari poſſe, verius videtur.

## XXX.

A contractu emptionis venditionis perſecto, nequidem cum amiſſione arrharum, invito contrahentium altero recedere licet.

## XXXI.

Periculum rei furtivæ ipſum furem reſpicit, ita ut vel ad caſus fortuitos, alias non præſtandos obligatus ſit: re itaque furtiva extincta, tenetur, ad ejus æſtimationem, & quidem quanti res unquam plurimi fuerit apud furem.

## TANTUM.